



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum**

**Nicolaus <Eymericus>**

**Venetiis, 1607**

Praecunctis. i. Vrba. iij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**



idē Innocentius tertius (vt mibi videtur) in Apo-  
 stolica, extra de presbytero non baptizato, eadē nō  
 obscure definire ac stabilire videtur sententiā in hęc  
 verba: Inquisitioni tuę taliter respondemus, pres-  
 byterum, quem sine vnda baptismatis extremū  
 diē clausisse significasti: quia in sanctę matris Ec-  
 clesię fide, & Christi nominis confessione perfe-  
 ueravit, ab originali peccato solutum, & cęlestis  
 patrię gaudū esse adeptū asserimus incūctāter.

Post hęc Benedicētus in hac extrauaganti lōge  
 uberiorē et expressiorem definitionem edidit: quam  
 etiam cōcilium generale octauum seu Florentinum  
 sub Eugenio IIII. celebratum, sessio. ult. circa finem  
 anno Domini 1439. clarē et aperte tradidit his uer-  
 bis: Definimus illorum animas, qui post baptil-  
 ma susceptum, nullam omnino peccati maculā  
 incurrerūt, illas etiam, quę post contractam pec-  
 cati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem  
 exuta corporibus, (prout superius dictum est)

A sunt purgate, in cęlū mox recipi, & intueri clarē  
 ipsū Deū trinum, & vnū, sicuti est, meritorū tñ  
 diuersitate alium alio perfectius, illorum autem  
 animas, qui in actuali mortali peccato vel solo  
 originali decedūt, mox in infernū descēdere, pę-  
 nis tamen dispartibus puniēdas. *hactenus cōcilium.*

A itque ex his consequitur, Gręcos & Armenos  
 nunc potissimum post has Ecclesię definitiones vel  
 ex hoc solo hereticos esse, qui asserunt, animas defun-  
 ctorum suis corporibus exutas, non habere penam  
 vel gloriam vsque ad diem iudicij, quos refert &  
 consulat egregiē Guido Carmelita in summa de hęc  
 resibus titu. de hęcresibus Gręcorum, cap. 7. &  
 tit. de hęcresibus Armenorum cap. 5.

B Ex hac extrauaganti Nicolaus Emyericus, infra  
 in hac 2. p. q. 8. ver. In extrauaganti autem. duo  
 decim hęcreses damnatas subtiliter colligit, & toti-  
 dem inde catholicas veritates illis hęcresibus con-  
 trarias comprobari verissimē admonet.

## LITTERÆ DECEM APOSTOLICÆ

Diuerforum Pontificum Summorum,

In quibus magna & multa priuilegia Inquisitoribus cenceduntur,  
 & quamplura dubia ad Inquisitionis officium  
 pertinentia, dissoluuntur.

Urbanus IIII. ad Inquisitores.

Multa Inquisitorib. priuilegia cōceduntur, et ple-  
 raque alia declarantur, quę ad eorū officij spectant.

**U**rbanus Episcopus seruus seruorū  
 Dei, Dilectis filiis Fratribus ordi-  
 nis Prędicatorum Inquisitoribus  
 hereticę prauitatis, in regno, & do-  
 minio charissimi Christo filij no-  
 stri Regis Aragonum deputatis, auctoritate Apo-  
 stolica & in posterum deputandis, Salutem, &  
 Apostolicam benedictionem.

Prę cunctis nostrę mentis desiderabilibus  
 catholica incrementum fidei affectantes, nimio  
 vtiq; dolore replemur, cum audimus aliquos,  
 vel sentimus ad illius deprehensionem quacuq;  
 malignitate satagere, vel damnabilibus ipsam  
 deprauando reprehensionibus, aut detractioni-  
 bus ei abrogabilibus derogando, seu commentis  
 eandem mendacibus peruerendo, ad quorum  
 iniqua conterenda molimur, eō animosius aspi-  
 ramus, quō in animarum stragē perniciosius eos  
 agnosimus cōspirare. Sanē, vt accepimus, in ali-  
 quibus partibus regni & dominij charissimi in  
 Christo filij nostri illustris regis Aragonū, adeo  
 infidelitatis error inualuit, quod ibi quampluri-  
 mi à via veritatis prorsus auersi, eūtes per deuū  
 falsitatis, pestiferas ad concutiēdum orthodoxę  
 murum fidei machinas construxerūt, molientes  
 ipsum fallacium argumentationum impulsibus

C demoliari. Verū licet vbilibet sedis Apostolica  
 diligentia cōtra talium dolosam astutiā, ne dif-  
 fusius huiusmodi serpat morbus, remedium libe-  
 ter adhibeat opportunum; in prædictis tamen  
 partibus cupientes anxie, vt negotium fidei iugi  
 profectu, elisis omni ferroribus conualescat, vi-  
 gilare ad hęc per nos & alios eo studemus arte  
 tius; quo prædictum Regem feruentiorem senti-  
 mus ad idem negotium efficaciter promouēdū.  
 Prouidimus igitur ibidem ad præfatis personas  
 aliquas circumspēctas, pro tanto negotio de puta-  
 ri quarū honesta conuersatio exemplū tribuat  
 puritatis, & doctrinā fundat erudita labia salu-  
 tarē, vt sacro ipsarū ministerio præfate partes ab  
 huiusmodi contagijs expurgentur. Vt aut in qui-  
 sitionis officij contra hereticos in præfatis par-  
 tibus possit efficacius adimpleri, discretioni ue-  
 strę per Apostolica scripta mandamus, in remif-  
 sionem vobis peccatorum iniūgentes, quatenus  
 in charitate Dei hominū timore postposito, vir-  
 tutem spiritus induentes ex alto, prædictum offi-  
 cium in dictis partibus simul vel separatim aut  
 singulariter, prout negotij vtilitas suadebit, ad ex-  
 tirpadam de ipsis partibus hereticam prauitatē,  
 sub spe mercedis aternę sic efficaciter prosequi  
 & exequi studeatis, vt per sollicitudinis vestrę  
 prudentiam, de partibus ipsis radix iniquitatis hæ-  
 reticę succidatur: & vinea Domini exterminatis  
 vulpeculis, quę peruersis moribus demoliūtur  
 eandem, fructus afferat catholica puritatis.

I Si

† omnibus.

† al. pietatis.

† al. negotij.

† Concordat  
 textus in ca.  
 Vt officium  
 de hęc. li. 6.

Edito anno  
 Domini 1461.

† al. desideris  
 † al. quilibet  
 per  
 Et  
 mē  
 de-  
 nit-  
 tio  
 ba-  
 hri  
 etū  
 nit  
 per  
 li-  
 us.



† cap. ad abo ledam §. qui vero, &c. Ex. cōdicamus. 1. §. qui autem, de hæret.

Si quos autē de prauitate prædicta culpabiles inueneritis vel infectos, seu etiā infamatos, contra ipsos (nisi examinati velint absolute in adatis Ecclesiæ obedire) necnon cōtra receptatores, defensores, & fautores eorum, iuxta sanctiones canonicas, auctoritate Apostolica, huiusmodi metu diuino timori postposito, procedatis :

Non obstantibus aliquibus litteris, ad quoscū que alios de partibus ipsis (exceptis locorum diocesanis) super huiusmodi negotio, ab ipsa sede directis; quarum deinceps ad huiusmodi inquisitiones faciendas nolumus auctoritate procedi. Quinimo ne procedatur per illas districtius inhibemus, nec prætextu commissionis specialiter eisdem diocesanis super hoc factæ, processus vestros in eorundem diocesanorum ciuitatibus & diocesisbus volumus impediri.

† Concordat. tex. in c. per hoc, de hæret. lib. 6.

Nec per hoc, quod huiusmodi negotiū generaliter in ipsis partibus vobis committimus, commissiones à præfata sede diocesanis eisdem factas, si forsitan illarum, seu etiam ordinaria velint auctoritate procedere, intendimus reuocare. Veruntamen siue auctoritate ordinariā, siue ex delegatione sedis prædictæ, iudem diocesanis in huiusmodi negotio processerint, nequaquam volumus, vel per cōcursum processuum, vel alias quomodolibet, processus vestros impediri, quin diocesanorum ipsorum processibus non obstantibus, in eodem negotio procedere libere valeatis.

† Concordat. tex. in c. V. officium, §. si vero, de hæret. lib. 6.

Si vero aliqui ex prædictis, hæretica labe penitus abiurata redire voluerint ad ecclesiasticā vnitatem, eis iuxta formam Ecclesiæ absolutio- nis beneficium impendatis, & iniungatis eisdē quod iniungi talibus consuevit: Prouiso solerter ne simulata cōuersione redeant fraudulenter, & vos, immo potius seiplos, fallentes, sub agni specie gerant lupum.

† Vide. Clam. mon. 1. §. ordo pter quod, de hæret.

Quod si aliqui fuerint iudicandi hæretici, vel incarcerationis pœna perpetuæ alicui pro huiusmodi crimine fuerit infligenda, per vos ad illud de diocesanorum vel vicariorum suorum, si diocesanis ipsis absentibus presentes fuerint, consilio procedatur, vt in tantæ animaduersionis iudicio, non postponenda Pontificum auctoritas intercedat.

† Concordat. tex. in ca. V. officium, §. verum, de hæret. lib. 6.

Verum quia in tā graui crimine cum multa oportet procedi cautela, vt in reos sine vilo profectatur errore dure ac dignę seueritas vltionis, volumus & mādamus, vt vos, vel illi, quos ad hoc duxeritis deputandos, in examinatione testium, quos recipi super hoc crimine prædicto, ipsūque cōtingentibus oportuerit, adhibeatis duas religio- sas personas & clericas, in quarum præsentia per publicam, si commodè potestis habere perso- nam, aut per duos viros idoneos fideliter eorundem depositiones testium conscribantur.

† Emericus 3. par. q. 63.

Quod si testibus, quos à vobis recipi, vel ab alio vice vestra super eodem crimine examinari contigerit, ex publicatione nominum eorundē videlicet periculum imminere, ipsorum nomina non publice, sed secrete coram aliquibus perso- nis prouidis & honestis, religiosis, & alijs ad hoc vocatis, de quorum consilio ad sententiā vel cō-

† Emericus 3. par. quaest. 73. & ibi dixi.

demnationem procedi volumus, exprimantur. Er sic non obstante, quod illis, contra quos huiusmodi testes de posuerint, eorum nomina non fue- rint publicata, ad cognitionem iudicis instruendā, adhibeat plena fides testium depositioni- bus eorundem.

Ut ergo commissi vobis officij debitum vtilius, & liberius exequamini, committendi citatio- nes, & testium examinationes, cū de huiusmodi criminibus, ac ipsis circumstantijs duxeritis inquire- dum: & denunciationes sententiarum, quas in quoslibet hac de causa tuleritis: Accerfendi quos- que, prout expedierit, peritos quoslibet, vt vobis in ferendis huiusmodi sententijs præbeant confi- lium opportunum, ac vobis assistant: Conuocan- di etiam clerum & populum ciuitatum, castrorū aliorumq; locorum, prout dicto negotio fidei vi- deritis expedire: Insuper in dicto negotio de pla- no & absq; iudiciorum & aduocatorū strepitu: Ac contra illos quos in prædictis partibus in hæ- reses & crimine cōmissis cōsisterit, licet ad alias partes se transferendos duxerint, procedi: Nec non faciendi vobis libros, seu quaternos, & alia scripta, in quib. inquisitiones factæ, & processus per quoslibet auctoritate sedis Apostolicæ, vel legatorū eius habitij, contra hæreticos continen- tur, a quibuslibet assignari & obseruari omnia statuta tam per sedem Apostolicam, quam in cō- cilijs eiusdem sedis prouide edita, quæ negotiū catholicæ fidei tangere dignoscuntur, sicut pro- motioni negotij & augmentationi fidei fuerit op- portunū: Prouidendi præterea de diocesanorum, vel eis absentibus, vicariorum suorum consilio hæ- reticos, eorundem credentes, receptatores, fauto- res, & defensores, eorumque filios, & nepotes, per- sonas dignitates, & beneficij ecclesiasticis, & officijs publicis, & honoribus quibuscūq;. Necnon & largiendi viginti, vel quadraginta dierum indulgentiam, quoties opportunum vi- deritis, omnibus verè penitentibus, & confessis qui ad vestram conuocationem propter hoc faciendam accesserint: Plena sit vobis, & singulis vestrum presentium, tenore facultas.

Vobis autem pro huiusmodi negotio laborantibus, illam peccatorum veniam indulgemus quæ succurentibus terra in generali Concilio est concessa.

Socijs uero Fratribus uestri ordinis, & Nota- rijs uestris, qui vna vobiscum in prosecutione hu- iusmodi negotij laborauerint, & omnibus qui vobis personaliter assisterint in eodem negotio: & qui ad impugnandū hæreticos, fautores, & re- ceptatores & defensores eorum, ex animo vobis præstiterint auxilium, cōsiliū, aut fauorem: de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Pe- tri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confi- si, tres annos de iniunctis sibi penitentijs relaxa- mus. Et si qui ex ijs in prosecutione huiusmodi negotij forte decesserint, eis peccatorum omnium de quibus corde contriti, ac ore confessi fuerint, plenam veniam indulgemus.

Compescendi præterea monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postpo-

postpo-

Marginal notes on the right edge of the page, including references to other parts of the text and external sources.



postposita, predicatores questuarios à predicatio- nis officio (quod ad ipsos nullatenus pertinet, quo- rum interest tantum charitatiua subsidia simpli- citer petere, ac indulgentiam, si quam forte ha- bent exponere) liberam vobis, & singulis vestru concedimus, auctoritate presentium, facultate.

Ceterum si forte (quod non credimus) aliqui cuiuscunque conditionis huic negotio vobis com- misso, se opponere, seu illud presumserint aliqua tenus impedire: vt no possit procedi libere in eo- dem: immo nisi requisiti illud fouerint, & iuxta officium, & posse suu singuli iuuerint studiosè: contra eos tanquam haereticorum fautores, & de- fensores, secundum sanctiones Canonicas, freti eadem auctoritate, intrepide procedatis.

Denique vt circa praemissa plenè vobis, & sin- gulis vestrum coertionis expedita, & inuolabilis addit auctoritas, volumus, vt ea omnia vtiliter exequamini, inuocato (si opus fuerit) auxilio bra- chij secularis, Contradiçtores per censuram ec- clesiasticam appellatione postposita compescen- do. Non obstantibus aliquibus priuilegijs, vel in- dulgentijs quibuscunque personis, cuiuscunque con- ditionis, dignitatis, vel gradus, religionis, vel ordi- nis, & praesertim Cisterciens. Praedicatorum Mi- norum, seu Eremitarum, siue communitatibus vel vniuersitatibus ciuitatum, & locorum, specia- liter vel generaliter, sub quacunque verboru ex- pressionem vel forma à memorata sede concessis, vel in posterum concedendis: Etiam si dicatur in illis, quod eis per aliquas literas totum de verbo ad verbum tenorem non continentes priuilegio- rum vel indulgentiarum ipsarum, nequeat deto- gari: Et illis maxime priuilegijs, & indulgentijs, quibus, ab ipsa sede concessum est aliquibus seu concedetur deinceps, quod excommunicari, vel ipsorum terræ supponi non possint ecclesiastico interdico, aut quod praedictorum, vel alioru quo- rumlibet ordinum fratres, ad executiones nego- tiorum, aut ad citationes quorumlibet, siue de- nuntiationes, sententiaru excommunicationis, sus- pensionis, vel interdici, auctoritate literarum Apostolicarum minime cogi possint, nisi de ip- sorum ordinibus, priuilegijs, vel indulgentijs, eis sup hoc à sede concessis eadem habeatur in eis- dem literis mentio specialis: cum ex huiusmodi vel alijs priuilegijs, vel indulgentijs nullum uobis in tato pietatis negotio, velimus obstaculu inter- poni: Et constitutione de duab. diebus edita in Co- cilio generali. Datu apud Montem Flacon- v. Calen. Aug. Pontificatus nostri anno primo.

Clemens III.

**C**lemens Episcopus seruus seruoru Dei, Dilectis filiis Fratribus ordinis Praedi- catorum Inquisitoribus haeretica prau- tatis, in regno, & dominio charissimi in Christo filii nostri Illustris Regis Aragonu deputatis au- thoritate Apostolica, & in posterum deputandis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Prae cunctis nostrae mentis desiderabilibus &c. sicut in praecedenti immediate, Datum Peru

A si sexto nonas Octobris, Pontificatus nostri an- no primo.

Quia vero in praedictis duobus priuilegijs Vr- bani, & Clementis, sequens clausula, quae dirigi- tur Inquisitoribus, continetur: *Vobis autem pro hu- iusmodi negotio laborantibus, illam peccatorum ve- niam indulgemus, quae succurrentibus terrae sanctae in generali Concilio est concessa*, Ideo, vt vi- deatur quae est illa indulgentia, quae conceditur ter- rae sanctae succurrentibus, & consequenter In- quisitoribus in negotio fidei laborantibus: scien- dum est, quod in capitulo, Ad liberandam terram sanctam. extra de Iudejs, & Sarracenis, in parte decisae, vt notat Hostien. in lectura. habetur sic.

Ad liberandam terram sanctam, & infra. Nos ergo de omnipotentis Dei misericordia, & beato- rum Apostolorum Petri, & Pauli auctoritate co- fisci, & ex illa quam nobis, licet indignis, contulit Deus ligandi atque soluendi potestate: omnibus qui labore istum in proprijs personis subierint & expensis, plenam suorum peccaminum, de qui- bus fuerint veraciter corde contriti, & ore cofes- si, veniam indulgemus, & in retributionem iusto- rum, salutis aeternae pollicemur augmentum: Eis autem qui non in personis proprijs illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis, iuxta faculta- tem & qualitatem suam viros idoneos destinaue- rint: Et illis similiter, qui licet in alienis expensis in proprijs tamen personis accesserint, plenam suo- rum concedimus veniam peccatorum. Huiusmo- di quoque remissionis volumus, & concedimus esse participes, iuxta qualitatem subsidij, & de- uotionis affectum, omnes, qui ad subuentionem ipsius terrae de bonis suis congrue ministrabunt aut circa praedicta consilium, & auxilium impede- rint opportunum: Omnibus etiam pie profici- scentibus in hoc opere in communi sancta, & vniuersalis synodus orationum, & beneficiorum suorum suffragium impartitur, vt eis dignè pro- ficiat ad salutem.

Ex praedictis omnibus clare patet, quod Inquisitores dum laborant in eorum officio sancto, suorum plenam peccatorum veniam consequuntur.

COMMENT. XXII.

**P**rae cunctis. Edidit Clemens III. anno Do- mmi 1265. eisdem penitus uerbis, quibus Vr- banus III. praedecessor paulo ante ediderat; vide- tur enim fuisse mos uetustis temporibus cum ita res postulabat, vt in principio Pontificatus quilibet Ro- manus Pontifex contra haereticos, & Ecclesiae rebel- les leges promulgaret, vt eos supplicioru, & pena- rum acerbitate à tanto crimine amoueret, & ad ec- clesiae gremium reduceret. Has autem leges interdum à praedecessoribus acceptas nullis mutatis uerbis (nisi occasio suaderet) edebant, vt me etiam verè docuit Illustrissimus, Iulius Antonius Sanctorius sanctae Seuerinae Cardinalis, generalis Inquisitor, vir singulari pietate, & eruditione: quae consuetudo vt ex antiquis Pontificu rescriptis colligo, tunc ma- xime uiguit, cum Albigenses, Pauperes de Lugduno, et caeteri eius sectae heretici ab hinc fere trecetis annis

† Concessit Inn. III. in co- cilio genera- li Lateranen. Romae habi- to anno Do- mi. 1215.

† al. quantita- tem.

† al. proficiet- tibus.

Ritus vetu- stus promul- gandi leges contra haere- ticos initio Pontificatus.